



Misc. 6^{me}.

cat. 1, 63.



34 3 9

GEORGHII VVOLFFGANGI
V VEDELII,

HEREDITARII IN *Schwarza*/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS
PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM
SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET
ARCHIATRI, THEORETICES
PROFESSORIS OR-
DINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ
DECANI,

Propempticon Inaugurale,

DE

LOCO IOSEPHI DE
CHRISTO.

IENÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.



I. N. I.



Nter reliqua antiquitatis literariae postulata non minimum est geminum, vnum generale, de autoribus ipsis, alterum speciale, de his vel illis asfertis, fragmentis, aliisque huius commatis thesibus. Idque non solum circa Codicem sacrum occurrit, vbi res maioris longe momenti est, sed etiam in profanis scriptoribus.

His ipsis etiam tertium addi potest specialissimum, dubium nimirum circa verba haec illa, vt variarum Lectionum maximus inde exortus sit numerus, partim scribentium culpa, partim legentium, & velut prurigine quoque saepe illas fingentium.

Vtut vero laus sua maneat sedulis ruspatoribus, quando iudicio profundo, & in re fundato restitutionem textus huius vel illius in integrum instituunt, vnde liquidior & genuinus confurgit sensus; sapissime tamen frustraneae fere sunt, vel ex ipso contextu diluendae, nec temere & promiscue tanti aestimandae.

Elegans tale exemplum restituti loci in clarissimum sensum exhibuit nobis olim celeberrimus Polyhistor Iobus Ludolfus, pia memoria, apud Plinium l. 6. Nat. Hist. c. 5. vbi scribitur Regio Colchica quondam adeo clara, vt Timotheus in eam CCC. nationes, quae dissimilibus linguis vt vterentur, descendere prodiderit. Et postea a nostris CXXX. interpretibus negotia ibi gesta. Incredibilis haec relatio ad oculum claret, si nouerimus olim scripta fuisse tricenaria pro triginta, & hinc, si legas: cum XXX. interpretibus, vt par est, & sine dubio idem olim scriptum, res omnis est in vado.

Inter haec longe famosissimus est locus Iosephi, historici, natiuitate & loquendi genere Hebraei, dialecto vero Graeci, de Iesu Christo, Salvatore O. M. l. 18. Antiqu. Iudaic. c. 4. quem seculo superiori tum alii ventilandum sumpserunt, tum Arnoldus, Bosius noster, & Ittigius, ita tamen vt ple-

vt p
sti
men
trato
tam
erat
dixi
cep
tes
em
ti ce
ista
cileg
scr
in h
re po
tum
plic
agit
C
pler
tiqu
fuer
rint
nisse
mon
dais
lud l
fuit
teroc
quan
factu
l. 18.

vt plerique fere pro *ymrio* non agnoscant, sed suppositum a Christiano argumententur.

Est vero is sequens: Eodem tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patror, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Iudæis, quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem, accusatum a nostræ gentis principibus, Pilatus cum ad dixeret cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio ceperunt. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt; & vsque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.

Non nostrum est actum agere, & quod præstitere iam dudum laudati celeberrimi viri, laudare vel loca autorum, vel argumenta latius ab iis tacta; licitum tamen nobis erit & mentem nostram exponere, & spicilegii instar quædam delibare, si non in supplementi vicem, saltem scrutiniū veritatis loco.

Enimuero visum nobis semper fuit optimum, & in aliis casibus & in hisce philosophari ex rebus, ex autoribus ipsis Iustrare & inquire, re pondus & fundamentum cuiuscunque dubiū apparentis asseri, textumque ipsum ex contextu & aliis adminiculis *epiphetas ac meiores* explicare, id quod etiam hic tentare integrum erit, vbi de gloria diuina agitur omnino.

Cum itaque ratum sit, inueniri hunc locum si non in omnibus, saltem plerisque exemplaribus editis Iosephi Græcis; cum a quampluribus antiquis Patribus ecclesie idem laudatus sit, non temere suspicandum, fuerit, illum esse irreputium. Et quod non omnes eundem citauerint, nil obstat, vel præiudicat. Indifferens fuit & liberum, meminisse eiusdem vel minus, si quidem rei ipsius tot ac tanta fuere testimonia, vt superfluum iudicauerint idem non pauci.

Quod si etiam alterutrum eligendum fuerit, vt vel expunctus a Iudæis sit putandus, vel a Christianis suppositus & insertus, prius illud longe credibilis omnino est, quam posterius. Plus enim interfuit osoribus illis, ex ipsorum hypothesi, non legi eundem, cum ceteroqui pro gentis suæ historia carere hoc autore non potuerint; quam Christianis, nihil quicquam inde lucrantibus.

Sane summum hoc fuerit vitium in historico, si tale tantumque factum silentio præterisset, cum tamen meminerit Iohannis Baptistæ

l. 18. Antiq. Iudæ. c. 7. p. 70. 626. & Iacobi, fratris Iesu Christi, l. 20. c. 8.

p. m. 698. vtriusque perhonorifice, adeo, vt factum hoc, mortem illi & aliis illatam, omnibus in ciuitate bonis & legum studiosis vehementer displicuisse scribat.

Mirum sane est, neminem quasi de duobus hisce locis subdubitare, vbi de præcone Saluatoris & discipulo agitur, cum tamen altero illo etiam Iesu Christi expressis verbis meminerit: alterum, vbi, quod vocant, tanquam in sede propria facta eiusdem fuit mentio, pro spurio & suppositio haberi a quibusdam, contra fidem codicum, ipsiusque contextus & seriei historicae.

Non minus mirandum est, quod insignis historici argumentum est, vel ideo pro falso locum habendum, quod si totus eximatur, nihil hiulci videatur superesse; quod an id inferat, quod debet, doctioribus iudicandum relinquemus, nobis sane neutiquam videtur. Ita enim quamplures textus impune possent eximi, & salua connexionione sic falsari loca Scripturae Sacrae ipsius.

Quid vero dubitabimus de loco ipso & testimonio Flauiano? Non enim tam concernit dogmata fidei, quam testimonium rei, facti & veritatis, etiam vel inuito expressum, vt cruci ipsimet antea adstantibus. An aliquid falsi inest? an suspecti? quod tamen suo periculo, vel malitia protulerit, posito, tale esse.

Sed videamus paulo, quid absoni inibi vel Iudæi ofores Saluatoris O. M. iurati, vel, vix credibile dictu, Christiani inibi inuenerint, quod hunc prætextum, hanc opinionem, hoc dubium ipsis intulerit, moueritque. Longum foret hæc recensere, nil inibi reperitur, nisi mera & pura pura veritas; siue eius sententia autor mentem protulerit & scripserit, siue ex aliena, Christianorum puta, non suam illam, faciens.

Nulla thesis est, nullum verbum, quod vel suspicionem mouere, vel inferre queat, nostro saltim arbitratu, vel ansam cogitandi de falsitate textus, de *πεννομένη* hoc nostro. Suspicio non cadit in virum bonum, nedum in Christianum, eumque pristini xui simplici veritate innixum & contentum. Minimum id probandum fuerit, nullo penitus argumento obiuo, firmo illo & genuino, quare & quem in finem hæc confinxerit, & asseruerit.

Si itaque nil incongrui scripsit, cur vera scribentem arguemus, & suspectum habebimus locum innocentissimum? At at, Christianum non fuisse Iosephum, dixeris, quomodo Iudæus professione & confessione hæc scripserit, contra propriam religionem & fidem? De eo quidem

dem postea videbimus, sed nihil tamen obstat, vel infert, vt assertum inde colligas textum.

Taceamus alia plura momenta, quæ vero ex ipsomet Iosepho huc faciunt, tanquam præcipua attendi merentur, vix hæcenus animaduersa. Sane idem ipse, velut præfaga mente futuri huius dubii, quoddam sepimentum falsationis huius prætensa coronidis vice imposuit. Ita enim sub finem horum librorum Antiquitatum Iudaicarum l. 20. c. 7. sic scribit: Atque ita concludetur harum antiquitatum tractatio, comprehensa viginti voluminibus, *ἐξ ὅ μιν ειδος σίχων, versusum vero sexaginta et a millibus.*

Id ergo animaduerti potuerit facile, si quis ausus fuisset tale quid audere. Vt enim hodie non tam accurate constet illius scribendi antiquitatis ratio, codex tamen hic de Antiquitatibus Iudaicis, (curatissimi & excellentissimi viri iudicio) minuto admodum, respectiue, charactere typis expressus continet ultra quadraginta mille versus, seu lineas, textus Græci. Si iam in scriptura literas paulo maiores adhibuit Iosephus, facile duo eiusmodi versus impleuerunt tres, adeoque quadraginta mille etiam sexaginta mille.

Vix apud vltos auctores occurrit tanta *ἀνεπίβεια* & præcautio, si exceperimus Masoretharum in sacris adhuc maiorem sedulitatem, & in Apocalypsi additum anathema, quod veteres quoque soliti sunt in describendo sacro Codice admonere studiosissime, ne quis error, ne quid manci contingat & relinquatur.

Si porro insistamus auctoris lectioni, in mentem occurrit conuersatio & forsan amicitia, si non familiaritas, cum Diuo Apostolo Paulo. Synchroni enim videntur fuisse, & sub Gamalielis disciplina condiscipuli, hunc enim præceptorem ipse memorat in vita. Fallor? an huius sui amici gratia iter Romanum suscepit, tempore Neronis.

Post annum, *inquit*, ætatis sextum supra vigesimum Romam proficisci contigit ob illam causam. Quo tempore Felix in Iudæa procurator erat, Sacerdotes quosdam sibi familiares, viros honestos & bonos, ob leuem quandam culpam vinctos Romam misit, acturos causam suam apud Cæsarem, Neronem puta. Sane, si annos computes exacte a primo anno Caii Cæsaris ad illud vsque tempus, circiter id incidet in annum nonum Imp. Neronis, quo tempore non Felix amplius, sed Festus præerat Iudææ. Felicem vero nominare videtur, quod primus ille Paulum captum detinuerit, cuius successor demum illum Romam misit.

Nullibi enim meminit huius casus, nec probabile est, Sacerdotes

Iudæos alios prouocasse ad Cæsarem, sed potius Paulum intelligere, videtur, cui *συναρχαλάτης* quosdam iunctos, saltim spontaneos & vel quasi tales; cum aliunde ex sacris colligere licet, tum ex hoc loco, si reliqua consentiant, illustrari.

Accedit familiaritas, quæ ipsi Iosepho intercessit cum Epaphrodito, cui vitam suam per ipsum conscriptam dedicauit, non minus, vt in fine huius fatetur, ac vniuersum Antiquitatum scriptum. Nihil enim impedit, quo minus eundem intelligamus Epaphroditum, cuius & D. Paulus meminit.

Et sic vna licebit coniectari de religione Iosephi, si vterius ingenii inuestigemus, e propria confessione, ideam genuinam. Enimvero vti cepit a primis adolescentiæ annis fluctuari, & se diffundere non ad vnam solum sectam: ita videtur per totum reliquum vitæ tempus non exuisse hos mores & habitum.

Sextum enim decimum annum ingressus, cum antea legum studio operam iam nauasset, decreuit sectarum tunc temporis solennium, gustum aliquem capere, non vnus scilicet solius, vt moris erat, sed singularum, Phariseorum, Sadducæorum & Essenorum: sic enim, faciliorem delectum, (an confusionem potius) fore putauit, si omnes cognosceret.

Sed factio per omnes tres transitu, nec hoc quidem experimento contentus, cum audiret, Banum quendam Eremitam esse, victu & amictu iuxta ac loco, singulari viuendi more, famosum, & hunc sectatus est exactis in eius contubernio tribus annis.

Ex his vero satis superque clarere potest, quid de eius religione, sentiendum sit. Quantum nobis quidem videtur, secta hæc dicenda, erit ex re ipsa fluctuantium, quos inter fortean suo loco & Seneca numerandus videtur. Nusquam est, quod dici solet, qui vbique est. Videtur, inquam, pro adulto suo mores, & cum Christianis conuersatus eodem sine, & cum Romanis ethnicis, & cum Iudæis diuersa stantibus.

Atque ex hac recensione concipere possumus quasi clauem quandam, iudicandi de testimonio Flauiano controuerso. Omnia illa prædicata vt verissima sunt, ita, quæ a Iudæo dicta videntur minus congrua infenso Christi hosti, si hæc reputes, non odiosa, vel affectata, vel ab aliena manu profecta argui poterunt ac reputari. Hæc præfari volumus, occasione *Theſum Medicarum Inauguralium Clarissimi & Dignissimi Artis Medicæ Candidati,*

JOHAN-

(7)

JOHANNIS CONRADI Wagner.

Patria ipsi est Gerstungia in Thuringia, ad Vierram sita, ubi natus est Anno MDCLXXXV. d. XXXI. Octobr. Patre JOHANNE Wagner mercatore, Matre ANNA, ex familia HÖRSELMANNIANA. Parentum horum prima cura fuit, ut eundem studiis consecrarent, eoque nomine informationi primo GEORGI Thon/ Pastoris Neustadtiensis, deinde QVIRINI SIEGFRIED, Pastoris BERCKENSIS, commendarunt, quorum manu- ductione per biennium haud sine emolumento usus est.

Missus hinc Ilnacum, doctrina JOHANNIS PAULI EBARTI, Subcon- rectoris, ut & M. RVDOLPHI CHRISTIANI HESSELBARTH fuit imbutus. A patre domum revocatus, non procul a patria, a M. MATTHIA MEL- CHIORE HACKENBERG per annum fidelissime instructus fuit.

Ilnacum vero reversum Pater tradidit curæ JOHANNIS HEM- REICHI, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, & Practici Ilnacensis feli- cissimi, cuius diligentiam atque humanitatem præstitam non satis de- prædicare potest, utpote qui non solum in humanioribus & philoso- phicis, sed & primis medicinæ fundamentis per triennium diligentis- sime illum informavit.

Anno MDCCIII. d. XXVII. April. aliam nostram Aca- demiam accessit, Rectore t. t. Magnifico WILHELMO HIERONYMO BRUCKNERO Pandectarum Profess. Publ. celeberrimo, albo ejusdem in- scriptus, cordi maxime habens, ut ex ore Excellentissimorum & Cele- berrimorum Professorum, tum Facultatis Philosophicæ, tum maxime Medicæ hauriret, quæ ad formandum ingenium satis floridum & felix, ac frænerandos profectus facerent.

In physicis manu ductorem habuit JOHANNEM CASPARVM POSNERVM, hoc tempore Eloquentiæ Professore Publicum meritissimum, in Ethicis & Politicis D. JOHANNEM PHILIPPVM TREVNERVM, in Matthesi GEOR- GIVM ALBERTVM HAMBERGERVM, in Logicis & Metaphysicis D. JOHAN- NEM PAULVM HEBENSTREITIVM t. t. Theologiæ Professore ordinarium.

Ex Medicis frequentavit non sine insignissimo fructu D. RVDOLPHI GVILIELMI CRAVSH, Hereditarij in Mellingen, Academiae iuxta ac gra- tiosissimæ Facultatis Medicæ Senioris Venerandi, Scholas de hu- moribus ac Therapia generali.

Non minori cum emolumento audiuit D. JOHANNEM HADRIANVM SLEVOGTIVM, Hereditarium in Ober Rosla/ quem in auditorio, syluis, mon-

montibus, pratis Floræ thesauros solide & optime exponentem audiuit, in publico autem theatro Anatomico cadauera humana vtriusque sexus dexterime secantem & demonstrantem vidit.

Interfuit etiam vtiliter prælectionibus D. ERNESTI HENRICI WEDELII, Professoris publici Extraordinarii, priuatim de materia Medica & formulis præscribendis, publice vero in aphorismos Hippocratis vtilissime habitis. Sub Præsidio quoque eiusdem partem ex Physiologia medica nostra publice non sine laude ventilauit.

Cumque & ipse in testimonium vocer, merito laudandum venit studium, quod in exercitiis varii generis theoreticis & practicis tam publicis quam priuatis, vbertim demonstrauit. Profectus itidem laudatissime probauit, quando, sub nostro Præsidio, Librum II. Compendii praxeos Clinicæ, de morbis mediæ ventris, publice defendit.

Formatis sic & perfectis profectibus sufficientibus, vt aliis quoque inseruire possit vtiliter & operam ferre medicam, publico testimonio eruditionis & dignitatis probatus, id ipsum a Facultate nostra decenter petiit, nomen inter Candidatos professus. Adnuit hæc ipsa & deprehendit in Examinibus femina doctrinæ fertilissimo agro commissæ, & egregios fructus inde expectandos.

Cum itaque, sub præsidio CRAVSIANO A. D. XXVI. Mart. publice habiturus sit laudatam Disputationem, vt solennem hanc panegyricam gratiosa sua & beneuola præsentia dignentur Magnificus Pro-Rector, illustrissimus Comes, Patres Academicæ venerandi, Hospites item & Commilitones omnium ordinum honoratissimi, perhumaniter & officiose rogo atque contendo. P. P. Ienæ sub Facultatis Medicæ Sigillo, Anno Christiano MDCC VII. D. XXV. Mart.



Retor V

Th: 780

ULB Halle

3

002 500 698



5b.


KO17

D

n. C.







34 3 ~~9~~

GEORGII VVOLFFGANGI
V VEDELII,

HEREDITARII IN *Schwarza*/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS
PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM
SAXONIÆ DVCVI CONSILIARII ET
ARCHIATRI, THEORETICES
PROFESSORIS OR-
DINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ
DECANI,

Propempticon Inaugurale,

DE
LOCO IOSEPHI DE
CHRISTO.

IENÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.

